Materia Iuramenti Parti a Parte in Iudicio delati hactenus receptis, Halæ 1717. 4. & cultiſſimæ in MELCHIORIS ab OSSA *Teſtamentum* Adnotationes. Addimus CHRISTOPHORI IOANN CONRADI ENGELBRECHT Diſſertatiunculam: *De Cauſis impediti hactenus felicis ſucceſſus tentatæ in Germania Emendationis adminiſtrationis Iuſtitiæ, Helmſtadii 1718. 4.*

CAPVT VNDECIMVM
De
BIBLIOTHECA CRIMINALI.

§. I.

Hiſtoria & Fontes Iuris Criminalis.

HIſtoriam *Iuris Criminalis* apud Germanos cum primis recepti, neruoſam dedit Excellentiſſimus huius Bibliothecæ Auctor, *Hiſtoriæ Iuris Capite IX. p. 735* cui adiungenda omnino egregia CHRISTIANI THOMASII, *de Occaſione, Conceptione ac Intentione Conſtitutionis Carolinæ, Halæ 1711. 4.* Scriptores vero ipſi qui *Ius Criminale* exponunt duplices ſunt, vel Theoretici, vel Practici. Inter Theoreticos primo loco veniunt Fontes, *Ordinatio* ſcilicet *Criminalis* CAROLI V. ſiue *peinliche Halſs-Gerichts-Ordnung* in Comitiis Ratisbonenſibus 1532. habitis, publicata, quæ inter Receſſus Imperii extat. Prodiit illa cum Commentariis CASPARIS MANZII, *Ingolſtadii 1650. 4.* MATTIÆ STEPHANI, *Francofurti 1650. 4.* & DANIELIS CLASENII, cura IOANNIS AN-